



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CLXXIX. Ioannis Papae VIII. Ad VVibbodvm Episcopvm. Vt apud Carolomannum, vel Carolum eius fratrem de ecclesia Dei a Paganorum infestationib[us] defendenda agat: & si archicapellanus Caroli ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVIBBODVM EPISCOPVM.

Vt apud Carolomannum, vel Carolum eius fratrem de ecclesia Dei a Paganorum infestationibus defendenda agat: & si archicapellanus Caroli Romam venerit, ipse quoque veniat; sin minus, eorum regum voluntatem sibi literis aperiat.

*Reuerendissimo Vvibbodo episcopo, & dilecto consiliario nostro.*

CVM assidue vos quasi carissimum filium in nostro cupimus habere obsequio, placeret nunc nobis pro instantis temporis multiplicibus causis, vestro sagaci consilio frui: sed quia industriam vestram ea quæ ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ, ac nostrum pertinent, semper vbique agere fideli deuotione velle, procul dubio credimus, nunc ad nostram apostolicam venire præsentiam non grauamus. Quapropter vestræ innotescimus dilectioni, quoniam assidua & supra modum graui Paganorum infestatione grauati, cuiuslibet regis iam cupissemus habere solatium. Vnde si Carolomannum posse incunctanter agnoscitis, apud illum; sin autem, apud germanum & æquiuocum eius, Carolum videlicet gloriosum regem, causas & utilitates sanctæ sedis apostolicæ prudenti dumtaxat consilio agere: &, Deo auxiliante, ad perfectum deducere satagatis; quatenus pristinum eius honorem, atque vigorem ipsius, regia maiestas, more videlicet parentum suorum, conseruet in omnibus. Præterea si talis archicapellanus iam fati Caroli regis, sicut nobis mandastis, venerit, ad nostraque apostolica vestigia missus properare quæserit, volumus vt cum eo ad nos pariter veniatis; vt communi tractatu, quid pro ecclesiæ Dei exaltatione agendum sit, pariter consideremus. Sin autem ipse Romam non venerit, eo diligenter inquisito, causas & voluntates, atque deuotiones vel Carolomanni, vel ipsius germani iam dicti regis, nobis literis vestris sub omni certitudine præsentialiter innotescatis, vt quid prospere agendum sit, luce clarius

agnoscamus. Huius quoque textum epistolæ, vt nullus agnoscat, cum legeritis statim igne comburite. Data vt supra.

EPISTOLA CLXXX.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

*Scribit se tacitum tenere quod secreto ex ipso audierat, & auxilium, quod promiserat, ab eo omnino expectare: præterea se bene valere.*

SECRETVM, quod, Deo auxiliante, vobiscum Trecis existentes habuimus, immutilatum, ac fixum nostro apostolico pectore, quasi quoddam thesaurum reconditum, procul dubio retinemus, & totis, vita comite, nisibus illud, quantum in nobis est, alacriter optamus perficere. Quapropter, si excellentiæ vestræ libet, iam hoc ipsum ad effectum debetis perducere. Quia iuxta sanctum Apostolum admonentem: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*: quibus, fauente Domino, vestra potestis efficaciter desideria explere. Nos enim spon-<sup>2. Cor. 6.</sup>sionem vestram nimium præstolantes, sed vsque adhuc minime contemplantes, tristes existimus, eo quod assiduas & supra modum graues Paganorum infestationes omnimodis patiamur: & idcirco pro instanti necessitate alio dirigere, auxiliumque opportunum prætermisimus quærere. Vnde, si placet agere, quod agendum est agite; sin autem, nobis remandare sine mora satagite. Quia vero de salute nostra solliciti gaudetis, vestræ innotescimus magnitudini quia & prosperum, Christo duce, reuertendo iter habuimus, & nunc corporea sanitate bene valemus. Data vt supra.